

NON POTEST ABSCONDI SVPRA MONTEM POSITA. Matth.
RELIGIO more, et studijs fulgebit ubique ;
Ipsam dum fulcit MONS tuus, Alme Pater.
Dom. dell Acerra S.

P R O G R A M M A.

Reverendiſſimus
Frater Antoninus Bremond
Electus eſt Bononiæ
In Magiſtrum totius ſui Ordinis;
Et communi ceterorum jubilo,
Et pari, atque redundanti ſingulorum plauſu.

ANAGRAMMA PURISSIMUM.

In iſto Monte tuo
Ordo dominicanus quieſcens
Per univerſum terrarum orbem
In annos, in ſecula, in ætates
Ut ſplendidum jubar
Ter fulgebit
Studiis, et ſingulari more Tuorum.

V T

NOVO ANTONINO

Ex Nobili Stirpe

BREMOND, ET ALBITIORUM

Descendenti:

UNIUS ANTONINI

Generalis olim Magistri

NATIONEM, DIGNITATEM, VIGILANTIAM

Praeseferenti:

ALTERIUS ANTONINI

Florentini olim Archiepiscopi

SAPIENTIAM, EUBULIAM, SANCTIMONIAM

Exhibenti:

UTRIUSQUE

MEMORIAM

Repetenti;

Devota praestet obsequia

Corde dudum inclusa;

Supplex procumbit

F. VINCENTIUS ZARETTI

In regali Conventu S. Dominici Maj. de Neap.

Philosophiae Lector:

EIQUE

Novas Dissertationes

Ex angelica S. Thomae Summa

Congestas,

Et Metaphysicae

Accomodatas

DICAT, VOVET, SACRAT.

Illum, qui intelligentiae, sapientiaeque se amatorem profitetur, necesse est, intelligentis, sapientisque naturae primas caussas cognoscere.

Cicero de Univers. cap. 14.

REVERENDISSIMO PATRI

F. ANTONINO BREMOND

MAGISTRO GENERALI ORD. PRAED.

F. VINCENTIUS ZARETTI

Ejuſdem Ordinis.

DUm parvulos natura igniculos cordi noſtro dedit, dum quaſdam veluti ſcintillulas menti noſtrae affixit, quibus impavidi, & expediti occluſas, perdifficiles, & propemodum inacceſſas rerum latebras fidenti greſſu pervaderemus; non eò ſane intendit, ut unicâ, eâque vel ſobriâ corporalium ſcrutatione exaturati in cognitionis medio laeti, & deſidioſi conſiſteremus; ſed magis, ut in res a ſenſibus remotiſſimas, &

praesertim in Deum universorum finem, ac fontem conantes, ad itineris deveniremus extremum. Hinc factum est, Reverendissime Pater, ut posteaquam tuis sub auspiciis Dialecticae, & Physicae cum communis, tum particularis latibula conceptis thesibus feliciter perlustravimus; ad Metaphysicam, quae animi nostri, quae Angelorum, quae Dei haud ignota rationis lumini arcana vestigat, sub eodem tuae benignitatis patrocinio assurgamus. Magnam quippe spem, magnum, validumque praesidii tui pignus infirmitati nostrae confert & incredibilis illa tua humanitas, quam in superioribus Philosophiae partibus sumus nuperrime experti: & mirabilis illa nobilitatis cognatio, quae Te inter, & Metaphysicam nostris temporibus emergit, & nitidissime fulget. Tu siquidem & Metaphysica tam pari, tamque perenni incessu ad splendoris apicem gradimini; ut quemadmodum ista inferiorum scientiarum materiem, quotidianum coelorum discursum, latentem planetarum virtutem, elementorum assiduum conflictum, multiplicem fossilium, metallorumque originem, omnium denique sensibilium naturam, affectiones, motus posthabens; unde nullo ceterarum artium cultu perpolita videtur; inde illud tenet nobilitatis fastigium, quo & cunctis humanis facultatibus lumen atque principia partitur, & sacrae Doctrinae nitorem, ac dignitatem attingit; ita & Tu in Dominicanae Familiae album relatus, fulgentissimam stirpis tuae gloriam aspernans; unde omne pompaticae, atque terrenae nobilitatis jus Tibi voluisti ademptum; inde eam assequutus es animi nobilitatem, qua ad primum Ordinis nostri evectus subsellium, & eam, quam reliquisti, Majorum nobilitatem novo nunc splendore coronas: & supremi Numinis Tibi commissas partes in filios tuos exerces. Vix Te pubertatis aetatem ingressum quibusnam, ut assolet, non conabatur & detinere promissis, & pellicere honoribus, & curis, rebusque implica-

re

re tua ex utroque Parente altius repetita progenies, tot amplissimis referta viris, quot heroes armis, literis, & virtute praestantes Familia BREMOND, & ALBITIORUM haud interruptâ successione percenset? Si gentilitium paternae cognationis stemma spectabas, & pervetusta Tuorum gesta vel celeri obtutu volvebas; statim, ut Te ad gloriam impellerent, in dignitates concitarent, secularibus desideriis immiscerent, statim conspicuae orbis Academiae innumeros tui generis Alumnos omni prorsus sapientiae, eruditionis, literaturae studio excultos Tibi nuebant: statim victricia bellatorum vexilla, & insigniores Magistratuum togae prolixam tuorum consanguineorum seriem Tibi contexebant: statim non unius, alteriusve urbis contiguae gentes, verum quae Hierosolymam & Samariam, Judaeam & Galilaeam, Libani & Sinai montes, & quae demum utramque Aegyptum incolunt dissitae nationes Tibi exhibebant virum illum aeterna laude dignum Gabrielem Bremond, qui tam remotas locorum regiones pecuniarum impensis, famulorum comitatu, diuturnis viae, vitaeque laboribus perlustrans, earum ritus, mores, status luculento, accuratoque stylo conscripsit, & posterorum memoriae, commodoque mandavit (*a*). Quod si alteram Albitiorum maternam gentem mente, animoque agitabas; quaenam honorum insignia Tibi non pollicebatur praeclarissima illa soboles, quae primitus Cesenae illustri Atavorum sanguine firmata, natorum dein illustriori germine per varias mundi plagas expansa, non tanto annorum consenescebat occasu, quanto nobilitatis incremento vigebat? Cuncta quidem inclytae hujus propaginis monumenta abditâ quadam Te trahebant illiciâ; sed inter ista vehementiori prorsus gloriae Te excitabat aculeo elapsum

(a) *Extat hoc opus gallice, italiceque conscriptum.*

psum proxime seculum, quod recenti, jucundiorique spectaculo Tibi consanguinitate junctum pandebat Franciscum illum Albitium, cujus tantum enituit in sapientiâ assequendâ studium, tantus in domus Dei, Deique cultu promovendo zelus, tanta in Ecclesiae negotiis agendis dexteritas; ut ipse fuerit, qui jurisperitorum bibliothecas publicis libris adauxit (*b*): Ipse, qui in Jansenistarum haeresim profligandam summis nervis, summisque viribus incubuit: Ipse tandem, qui Magistratu Auditoris Nunciaturae apostolicae, onere Datariae, & munere Assessoris supremae Inquisitionis feliciter potitus, auspicante fel. rec. Innocentii Papae X. clementiâ, venerabile Cardinalium Collegium purpurâ suâ illustravit. Istius summi viri propositâ gloriâ Te ad honores, ad dignitates, ad fastum movebat, pungebatque hujusmodi seculum: nec tamen alios occulebat, qui Albitiorum nobilitatem adepti, nobilitatem Albitiam novis titulis, novis victoriis, novisque regiminibus condecorarunt. Quod si etiam cunctos occuluisset, illam certe tuis, & universorum oculis subripere non potuisset universalis Eccesiae basim, lumen, & caput fel. mem. Urbanum Papam VIII., qui unus quò arctiori affinitatis vinculo erat cum genere Albitio devinctus (*c*); eò majores in corde tuo valebat desiderii, speique affectus ciere. At quorsum plura? Haec omnia, Pater Reverendissime, haec, quae arcto calamo retulimus, etsi innumera alia, quae non desunt, quaeque taciti praeterimus, deessent tuae nobilitatis argumenta; haec sola suffi-

(b) *Scripsit de jurisdictione, quam habent Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum. Insuper de Inconstantia in jure admittenda vel non, varios tractatus edidit.*

(c) *Id asserit praefatus Cardinalis in epistola, quam praemittit operi de inconstantia in jure admittenda.*

sufficiunt, ut Te tum praesentibus; tum futuris aetatibus mirabilem praedicent, & invictam eam animi tui nobilitatem evulgent, qua Tu cuncta visibilia, & volantia pessundans pauperrimam, & humillimam vitam inter sanctissimi Patriarchae filios ducere elegisti. Haec animi tui nobilitas de altera tui generis nobilitate triumphans, haec sane fuit, quae Te Metaphysicae instar in sublime jure merito extulit: haec, quae Deum O. M. movit, ut Te de omni alio cogitantem, variisque curis distentum ad supremum Dominicanae Religionis gubernium communi voto erigeret. Sicut enim Metaphysica materies inferiorum scientiarum supergrediens id assequitur, ut ad summum pertingat nobilitatis fastigium, quo simul & humanas facultates lumine suo collustrat, & sacrae Doctrinae extrema praehendit; ita Tibi interiori animi nobilitate temporalem nobilitatem spernenti huc erat deveniendum, unde posses simul & terrenam nobilitatem, quam contempsisti nova hac honoris accessione ornare: & divinam nobilitatem, ac potestatem, cujus munia, partesque imples, in totius Ordinis regimine pro viribus aemulari. Cum igitur nos, speciali quadam praerogativâ munitae, speciali quoque obsequio venerabundos Tibi reddiderint ceterae Philosophiae partes; hodie proculdubio ad omnia simul conglobanda, tuique animi nobilitati dicanda dispertita variis diebus officia Metaphysica una, a qua Physica, & Dialectica lumen, & principia mutuantur, nos vividius excitat, & forti pondere trahit. Quae cum ita sint, Reverendissime Pater, totum hocce laboris nostri opus, quod jamdiu summis affectibus Tibi nuncupare optaveramus, quodque jam Nomini tuo inscriptum laetanter adspicimus; quemadmodum benignitate summâ tuendum suscepisti; ita & patrocinio tuo coronare, coronatumque complecti ne dedigneris. Finem sermoni vultûs nostri pudor & modestia tua faciunt, non penuria rerum. Multum enim

adhuc (verbis Senecae utimur (*d*)) restat operis, multumque restabit; nec ulli nato post mille secula aliquid aliud adiiciendi praecludetur occasio.

Nobilitate pares estis Tu, ac ista Facultas:
Tu decus istius detegis, ista Tui.
Hæc alias scandens artes, lucem artibus addit,
Doctrinæque sacræ limina summa tenet,
Dum Tu stemma fugis, magno tunc stemma decoras
Splendore, atque Dei munia summa geris.

(d) *Epist.* 64.

ASSERTIONES PHILOSOPHICAE
Ex angelica S. Magistri Summa decerptae,
E T
AD METAPHYSICAM COMPONENDAM CONCINNATAE,
Q U A S

Sub moderamine

R. P. L. F. VINCENTII ZARETTI

In regali Ecclesia S. Dominici majoris de Napoli
Die mense anno

Publico exponit certamini,

Data cuilibet oppugnandi facultate,

F. CHERUBINUS
LANCELLA

Inter novitios professos ordinis Praedic. Provinciae Regni Humillimus.

Cum tota corporalis creatura ad id fuerit a Deo producta, hominique objecta, ut ex his, quae animus novit, surgat ad incognita, quae non novit, & exemplo visibilium se ad invisibilia rapiat; eapropter thesibus coagmentatis, quae in Physica cum universali, tum particulari pertractandae occurrunt, quaeque ad corporeae creaturae vel accuratam notitiam attinent; theoremata illa supersunt, quae Metaphysicam, resque invisibiles complectuntur. Universa autem Metaphysica, si rectius introspiciatur, in tres facile potest tribui partes, quarum prima Ontologia dicitur, scruraturque communes Entis rationes: secunda Pneumatologia nuncupatur, disputatque de creatis spiritibus, ut sunt Anima separa-

ta, & Angeli: tertia demum Theologia naturalis appellatur, seque sustollit ad Deum usque, secundum id, ad quod valet humanae mentis acies propriis viribus pertingere: si tamen hoc criticis iis emunctae naris probetur, qui Deum quoque inter alios spiritus percensent, & tertiam partem sub Pneumatologiae nomine percurrunt.

Ad Primum itaque devenientes, innumeris relictis aut parum utilibus, aut abunde tritis, tantam in Entis ratione universalitatem dignoscimus; ut Ens sit, in quo cuncta tum visibilia tum invisibilia, sive naturalia sive supernaturalia, tam creata quam increata coadunantur. Quamobrem etsi tanta Deum inter, & creaturam extet dissimilitudo, & inaequalitas, quantâ intercapedine finitum ab infinito, nihil a toto secedit; attamen

I. Omnia, quae sunt a Deo, Deo secundum entis rationem adsimilari, ut primo, & universali principio totius esse, inficiari haud possumus. *D.Thom.p.p.q.4.a.3.*

EX hac latissima Entis ratione tres non minus universales, ac per omne Ens discurrentes oriuntur proprietates, & veluti affectiones: *Unitas* nimirum, cui distinctio, & multitudo repugnat: *Veritas*, cui falsitas obsistit: *Bonitas*, cui malum adversatur. *Unitas* autem eo in sensu non est sumenda, ut credatur eadem cum *unitate*, quae initiat numerum, & componit, quemadmodum Pythagoras, Plato, & Avicennas corticem manu tangentes, & nucleum non perscrutantes arbitrati sunt; & iccirco

II. Quamvis Unitas numerum componens, rem aliquam supra Ens addat; Unitas tamen Entis affectio nonnisi divisionis carentiam Enti affert. *P.p.q.11.a.1.*

CUmque nil prohibeat, id, quod uno modo est indivisum, esse alio modo divisum; contingit hinc, aliquid idem altero modo esse unum, altero multa: sic multa partibus sunt unum toto, multa accidentibus sunt unum subjecto, multa numero sunt unum specie, multa speciebus sunt unum genere, & multa processibus sunt unum principio. Ex hoc non amplius captu, explicatu-

que

que difficile videtur, qui fieri poterit, ut Deus, qui unus est, unumque intendit, distinctionem in rebus, & inaequalitatem produxerit; cum quaelibet creaturarum distinctio, & inaequalitas ad unitatem aliquam percommode reduci possit, & ordinari. Quocirca dignus est, ut anathematis jaculo confodiatur quisquis ex nostris audebit e cineribus revocare, aut putidum erratum autumantium distinctionem in rebus prodiisse, vel a sola materie, ut Democritus: vel a materie simul & agente, ut Anaxagoras: vel ab Intelligentiâ primitus creatâ, aliisque secundis agentibus, ut desipienter Avicennas: aut deliramentum Origenis effutientis, creaturas rationales tantum, easque unius conditionis, fuisse primâ Dei intentione productas; corporum vero inaequalitatem occasione disparum meritorum contigisse: satis enim superque apparet, quod

III. Distinctio, multitudo, sicut & rerum inaequalitas ex intentione Dei, ejusque summâ sapientiâ ortum habuit, & processit. *Primâ p. q. 47. a. 1. & 2.*

VEritas autem altera Entis affectio conformitatem Entis cum intellectu nitide exprimit: cumque non semel idem Ens, quod secundum aliquid cum intellectu concordat, sit secundum aliud ab intellectu difforme; accidit saepenumero in Ente vero falsitas, quae veritati refragatur. Ex hujusmodi vel conformitate, vel difformitate Entis aut veri, aut falsi cum, vel ab intellectu, illud oritur peripatheticorum omnium calculo probatum, & 6. metaph. scriptum axioma, *verum, & falsum non sunt in rebus, sed in intellectu*: quod tamen non autumavit Philosophus, ut omnem rebus adimeret aut veritatem, aut falsitatem; sed quia

IV. Veritas, quae secundario creatas res afficit, nonnisi in intellectu primitus, & principaliter adinvenitur. *pr. p. q. 16. a. 1.*

ET non absimili pacto

V. Falsitas prius est in intellectu; secundario autem in rebus: ita tamen, ut in res artificiales falsitas simpliciter per ordinem ad intellectum

artificis incidere possit: at in rebus a Deo pendentibus, nisi sint voluntaria agentia, falsitas simpliciter per comparationem ad divinum intellectum nequeat unquam contingere. *p. p. q.* 17. *a.* 1.

Bonitas tandem ultima Entis proprietas in eo duabus prioribus discrepat, quod *Unitas* Enti secundum se adjudicatur, *Veritas* Enti in intellectu, aut per ordinem ad intellectum, *Bonitas* Enti, prout appetitum demulcet, & clanculum pellicit. Hinc magnum illud, & diuturnum emergit dissidium; quonam pacto Ens, quod movet appetitum, bonum sit, & nominetur? num tantum extrinsece, solâ Dei bonitate: num solum intrinsece, bonitate creatâ minime a Deo pendente: num denique simul & extrinsece bonitate divinâ, & intrinseco bonitate creatâ a Deo acceptâ? In primum videntur jurasse Pseudoapostoli, & Justificatorii, dum in ordine morum solâ Christi justitiâ, non aliquâ impertitâ nobis intrinsecâ nos bonos esse, & dici, disseminarunt. Secundum vero videntur Arnaldistae tueri, Deum non esse omnium bonorum auctorem somniantes. At nos, qui non modo ut affanias, & meras tricas opiniones hasce, verum ut errores a catholicorum sensu alienos execramur, postremo dicto adhaeremus, &

VI. Pugnacissime defendimus, unumquodque dici bonum intrinsece bonitate creatâ a summo bono participatâ: extrinsece vero bonitate divinâ, sicut primo principio exemplari, effectivo, & finali totius bonitatis creatae. *p. p. q.* 6. *a.* 4.

Et quamquam nulli extrinseca creaturae bonitas, quae bonitas Dei est, defectui sit obnoxia, nec possit; accidit nihilominus, & crebro, in bonitate creatâ intrinsecâ defectio aliqua, & alicujus boni privatio, quae *malum* jure dicitur. Immo cum haec privatio nequeat in nihilo adinveniri, sed in Ente, quod aliquam semper bonitatem implicat; ideo in dictum Augustini in ench. cap. 14., *malum non est, nisi in bono*, nostros defigentes oculos,

VII.

VII. Subjectum mali non esse, nisi aliquod bonum, lubenter dicimus, & constanter tuemur. *Primâ p. q. 48. a. 3.*

AT cur in resolvendis hisce de Ente abstractis nimium, & exsiccatis quaestionibus justo plus immoramur, cum jamjam & Pneumatologia, & naturalis Theologia ad pulchriora, atque utiliora nos vocent, & grandi alliciâ trahant? Pulchriora sunt, quae sequuntur; dum nostri animi, dum angelorum, dum Dei universorum conditoris reposita, & penitiora pandunt arcana. Utiliora sunt; dum ad sacrae Doctrinae limina usque perducunt: & subjectum, consortium, objectum beatitudinis, quae hîc Fide tenetur, quaeque in Patria superiori lumine revelabitur, aliquantulum adumbrant. Ab anima autem incipimus, non quidem corpori alligatâ, quo modo ad libros de viventibus spectat, sed corporalibus nexibus exutâ: & primitus de partibus, seu potentiis, quas secumfert, dum corpore nudatur, determinemus oportet. Ad id enim cogimur nonnullorum dementiâ, quos D. Thomas innominatos reliquit. Ex istis namque aliqui potentias sensitivas, & vegetativas in anima superstite remanere absolute dixerunt: alii vero cum potentias sensitivas in duplicem dispertirentur classem, & quasdam corporalium organorum actus, quasdam corporeis organis absolutas ponerent; priores corrupto corpore corrumpi, posteriores in anima separata extare, finxerunt mente, & scripto vulgarunt. Quam autem uterque hic bipartitus vecordium manipulus, & cuneus fuerit hallucinatus, sufficit vel simplici obtutu momenta percurrere, quibus

VIII. Dumtaxat potentias partis intellectivae scil. intellectum, & voluntatem; non autem sensivitas, & vegetativas, nisi tantum velut in radice, & virtualiter; in anima corpore expoliatâ agnoscimus. *D. Thom. suppl. q. 70. a. 1., & p. p. q. 77. a. 8.*

NEc potentiis sensitivis, & vegetativis solum viduatur superstes anima: cum enim ipsa, dum corpori copulatur, nonnisi corpus vivificatum immediate, & nonnisi medio vivificato corpore cetera queat movere; constat jam, quod

IX. Anima corpore exuta naturali virtute movendi quodcunque corpus caret. *p. p. q.* 117. *a.* 4.

HOc tamen, quod de motiva vi statuimus, ullo pacto nolumus, ut ad vim cognoscitivam quoque distendatur. Quare etsi plurimum adlaboret Scotus, ut probet, animam sejunctam locali distantiâ teneri, ne noscat corporea; attamen quia falso innititur fundamento vir alioquin Ingeniosus, & subtilissimus, putans, animam separatam a rebus cognitionem emendicare; nos surdâ aure dictum ejus excipimus, & adversus ipsum

X. Pro perspecto, exploratoque habemus, distantiâ locali animae segregatae cognitionem minime impediri *p. p. q.* 89. *a.* 7.

QUod si Scotus contentus esset, verbum suum non de qualibet animae sejunctae cognitione, sed tantummodo de certa, propria, ac peculiari omnium naturalium exponere; nos quoque, & lubentissime, ei auxiliares praeberemus manus: nam etiam nos

XI. Animae superstiti non certam, & propriam de omnibus naturalibus cognitionem, sed communem tantum, & confusam assignamus. *Ibid. a.* 3.

ET ideo

XII. De naturali animae separatae cognitione loquentes dicimus, quod mortuorum animae nesciunt, quae hìc aguntur: licet oppositum circum animas Deum videntes cum Gregorio sentiamus. *Ibid. a.* 8.

ANimabus corpore orbatis affines nimium sunt Angeli; iccirco ad alteram Pneumatologiae partem, cujus praecipua de Angelis est cura, gradum facimus. Et primo in medium erumpunt duplici veluti agmine facto Sadducaei, Epicuraeique ex una parte, ex altera veterum, tum latinorum, tum graecorum Patrum nonnulli;

nulli: illi quidem, ut Angelorum existentiam excludant; isti ut eorum naturam corpoream asserant. Verum quia nos, & ex Gregorio *hom.* 14. *in Evang.* habemus, quod *Angelos, & Archangelos pene omnes sacri eloquii paginae testantur*: Et ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. erudimur, *Deum ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, corporalem, & spiritualem, Angelicam scilicet, & mundanam: deinde humanam quasi communem, ex spiritu, & corpore constitutam*; eapropter ab utrisque sejungimur, & adversus utrosque asseveramus, quod

XIII. Necesse est, creaturas quasdam corporis prorsus expertes ponere, quae Angelorum nomine appellantur. *p. p. q.* 50. *a.* 1.

NEque laudatam Concilii Lateranensis authoritatem delumbat unquam authoritas Concilii Nicaeni secundi *act.* 5. ubi Patres opinioni videntur adhaesisse Joannis Episcopi Thessalonicensis, qui Angelos posse pingi contendebat, eâ ductus ratione, quia corpore saltem tenuiori aut aereo, aut igneo praeditos existimabat. Etenim praedictos Patres non momento, quo Joannes impellebatur, sed picturae dumtaxat Angelorum fuisse suffragatos, & ex Concilii verbis, & ex fine, ob quem fuit coadunatum, haud obscure deducitur. Merito autem Patres posse Angelos pingi, adprobavere; nam licet non sint corporei, neminem tamen sanae mentis, emunctaeque naris latet, quod

XIV. Angeli, ut se visibiles hominibus praebeant, interdum corpora assumunt. *p. p. q.* 51. *a.* 2.

ASsumptionis vocabulum statim ut subodoratus fuit Tertullianus, calamum perstrinxit: & ita Angelos assumere corpora docuit, quo modo Filius Dei naturam humanam personali unione assumpsit. Ast quantum fatuitatis sapiat hic error cogitatu, factuque impossibilis, vel nemo unus est, qui pleno ore non fateatur. Angelos namque tunc assumere corpora dicimus, quando aerem studiose coadunantes ad humani corporis formam redigunt; ut medio aere sic concinnato, velut homines personati, conceptus suos hominibus commodius exprimant, suasque intelligibiles virtutes, & proprietates, quas volunt, repraesentent. Hinc est, quod etsi Verbum in assumpta humanitate, sibique personali nexu

ob-

obstrictâ, vera vitae opera elicuerit, eliciatque; tamen

XV. Angeli in corporibus assumptis nequeunt unquam in verum sensitivae, aut vegetativae vitae opus prorumpere *p. p. q.* 51. *a.* 3.

QUemadmodum autem in praelaudata Concilii Lateran. authoritate per verbum illud *spiritualem* doctrina Ecclesiæ circum Angelorum spiritualitatem proponitur juxta sanioris mentis Theologos; ita ob aliud verbum *simul* quibusdam de Fide determinatum videtur, fuisse Angelos non ante, nec post; sed una cum corporali mundo conditos. At quoniam hoc postremum Angelicus noster omni aquilâ acutior non novit; nec quoque nos omni talpâ caeciores novisse quidem fatemur: & dumtaxat *to simul* cum eminentiss. de Vio volumus appositum adversus lapsum Origenis, qui primâ, & unicâ Dei intentione creaturas tantum spirituales productas effinxit, & postmodum ad earum demerita puniendum, veluti occasione acceptâ, corpora fuisse creata. Inficiari tamen non possumus, quod latinorum Patrum opinioni non parum ponderis affert praefata dictio *simul*: & ideo licet mendosam, & erroneam non judicemus hoc etiam tempore eam sententiam, qua Patres graeci, Angelos factos ante mundum corporeum, rati olim fuere; nihilominus in eam partem, quam tenuere latini Patres, ut veriorem propendemus, &

XVI. Angelos fuisse una cum corporali natura conditos, ut probabilius sustinemus. *p. p. q.* 61. *a.* 3.

PRo absono enim, & veritati parum consentaneo habemus, quod Deus, cujus perfecta sunt opera, partem aliquam a toto disjunctam creaverit: quod sane effecisset, si ante mundum corporeum Angelos de nihilo evocasset: Angeli enim ita in unius Universi perfectionem una cum corporibus confluunt, ut adserere non vereamur, quod

XVII. Tota per Angelos regitur corporalis creatura, & administratur *p. p. q.* 110. *a.* 1.

TOtam corporalem creaturam expressimus, ut callem eorum obrueremus, qui homines ex spiritu, & corpore constitutos Angelorum regimini subripiunt. Solemne enim horum mendacium

fundi-

funditus, ſtirpituſque obliterat, & ordo ille mirabilis orbi toti affixus, quo inferiora per ſuperiora reguntur: & infirma hominum conditio, nobiliorum creaturarum in ſuis operibus indigens adjumento: &, ne longum trahamus funem, ſublimis illa Angelorum haud incaſſum accepta virtus, qua non ſolum

XVIII. Angelus imaginationem hominis, ſicut & ejus ſenſus tam ab exteriori, quam ab interiori poteſt propriae naturae viribus immutare. *prim. p. q.* III. *a.* 3. *&* 4.

Verum etiam

XIX. Tam hominis intellectum illuminare poteſt Angelus, quam voluntatem movere: illum quidem vel fortificando, vel veritates proponendo; hanc vero vel ſuadendo, vel paſſiones concitando; licet nunquam (quod ſolius Dei eſt opus) interius, & efficaciter inclinando *pr. p. q.* III. *art.* I. *&* 2.

A Pneumatologia ad naturalem Theologiam, & proprie ad Deum ab Angelis, qui ceteras inter creaturas nitidius Dei ſimilitudinem gerunt, propinquius Dei majeſtati miniſtrant, perfectius Dei cognitionem aſſequuntur, velut mundiſſima divinitatis ſpecula, progredimur. Haec ſane Metaphyſicae pars, haec illa eſt, quae ceteris ne dum Metaphyſices, verum & totius Philoſophiae partibus praeſtat: haec eſt, quae inferiores, humanaſque ſcientias ſacrae Doctrinae adnectit: haec demum, haec eſt, quae jaculis confodit, lumine confundit, virtute enervat, veritate proſternit, perdit, extinguit pervicaciſſimos, & mentis inopes Atheiſtas, dum eos momentis invadit, quibus

XX. Deum exiſtere I. ex parte motus: II. ex ratione cauſae efficientis: III. ex conceptu poſſibilis, & neceſſarii: IV. ex diverſitate gra-

duum

duum, qui in rebus inveniuntur: V. ex mundi gubernatione probari poteſt evidentiſſime, & demonſtrari *p. p. q. 2. a. 3.*

NEc Atheis tantum perenne minitatur exitium;ſed & plurium, diverſorumque nebulonum audaciam contundunt iſtae quinque leviter, curſimque tactae rationes: quippe quae ne dum Dei exiſtentiam pandunt, verum etiam debilem viſum acuunt ad innumera, quae in Deo latent, quaeque impii negant, perſpicienda attributa. Singula tamen referre, nec noſtrae imbecillitatis eſt opus, nec operis hujuſce brevitas patitur: eapropter principaliora tantum tangemus. Et ſane, ſi prima ratio ex parte motûs Deum nobis prodit primum omnium Motorem prorſus immobilem; quonam digni non erunt, ut ſuffundantur rubore, qui in divina fingunt naturâ aut multitudinem, aut compoſitionem, quarum utraque, cum potentialitatem aliquam implicet, mobilitatem quoque non involvere nequit? Deteſtamur igitur veſanum mendacium tum Periiſtatorii, Gnoſticorum, & Manichaeorum vel binos, vel ternos Deos adſtruentium: tum Arnaldiſtarum quidpiam compoſitum in Deo ponentium: & verba Innocentii III. *in Conc. Lateran. extr. de ſum. Trin. & Fide cath.* toto corde, & viribus excipientes,

XXI. Deum eſſe unum, maximeqne ſimplicem, tenemus firmiter, & confitemur. *p. p. q. 11. art. 3., & q. 3. a. 7.*

ITidem ſi alterâ ratione ex parte cauſae efficientis Deus inter cauſas efficientes comprobatur prima, quae tot, tantaſque creaturas potenti vi de nihilo vocavit, ut eſſent, quaeque alias innumeras haud minori virtute vocare poteſt; fit proinde perſpectum, nullam vel minimam poſſe in ejus virtute detegi aut arctationem, aut infirmitatem: adeoque & ineluctabili veritate nitere Damaſceni verbum lib. 1. Orth. Fid. cap. 4., *Deus eſt infinitus, & incircumſcriptibilis*: & intolerabili fatuitate ſcatere dictum Bezanitarum, Rabbique Moyſis, Dei omnipotentiam calumniantium. Hinc

XXII. Deum eſſe infinitum, & omnipotentem, libenti animo determinamus. *pr. p. q. 7. a. 1. & q. 25. a. 3.*

Haud

HAud minus tertia ratio, qua ex conceptu possibilis, & necessarii Deus Ens summe necessarium statuitur, Dei perfectam immutabilitatem, & aeternitatem patefacit: immutabilitatem, quam nihil non tentavit ut excluderet Secundinus, diaboli percitus malitiâ, & suasionibus: aeternitatem vero, quae & in Concilio Lateran. sub Innoc. III. & inter regulas Fid. cath. traditas ab August. in lib. de fide ad Petrum stabilitur: immutabilitatem, inquam, & aeternitatem, quas in praesentiarum propugnandas assumimus, dum

XXIII. Deum esse omnino immutabilem, & aeternum, liberrime statuimus. *pr. par. q. 9. a.* 1. *& q.* 10. *a.* 2.

QUarta sequitur ratio e gradualibus creaturarum perfectionibus excerpta, quae divinae majestatis cumulatissimam perfectionem referans, satis nobis ostendit, quod sicut Sol ex verbis Dionysii cap. 5. de div. nom. *sensibilium substantias, & qualitates multas, & differentes, unus existens, & uniformiter lucendo, in seipso uniformiter praeaccipit*, ita

XXIV. Deus est universaliter perfectus; omnium in se creaturarum tum existentium, tum possibilium perfectiones modo quodam praecellentissimo continens. *p. p. q.* 4. *a.* 2.

ULtima denique ratio, quae supremum Dei regimen vel caecutientibus ipsis detegit; abunde suadet, eum non longe esse ab unaquaque earum rerum, quas sapientiâ summâ a fine usque ad finem attingit, suaviterque disponit. Quare stolidorum, vecordiumque dictis adnumerandum putamus Basilidis deliramentum, insanientis, Deum in unicò solis circulo, velut regem in solio, consistere, & contineri. Erubescat insanus auctor lumine circumdatus, & pondere gravatus illarum rationum, quibus

XXV. Deum esse in omnibus rebus, & ubique, immobiliter sentimus. *prim. part. quæst.* 8. *art.* 1. *&* 2.

Cunctorum Regi grates solvamus abunde,
Sub cujus summo munere finit Opus.

Quae

QUae adſerui cum in hoc, tum in ſuperioribus libellis Dialecticae, & Phyſicae tam univerſalis, quam particularis, aut ex auctoribus exſcripta, aut de propriâ penu deprompta; plenae, & rigidae Eruditorum cenſurae, praeſertim tamen ſaniſſimo & incorrupto judicio Eccleſiae, quae eſt *columna & firmamentum veritatis*: in cujus gremio, regenerationis gratiam accepi: ſub cujus monitis, peregrinationis ſpatium duco: pro cujus Fide, ſanguinem & vitam fundere inceſſanter exopto; cuncta lubentiſſime ſubmitto.